

~~Wilh. Ludwell~~

1249.

- ~~1.) Tractatus juris ad Institutiones~~
- ~~2.) Sist. II. Thesaurum juris~~

Wilhelmi Ludwell dissertationes XVIII. ad
Justinianearum Institutiones. Altorff. 1627.

Henrici Beszel dissertationes ad jus Pandectarum
Marp. 1627. Vol. 1.

Altorff. Sammelbd.
Lil.

] M13

DISPUTATIO QUARTA.
AD
IVSTINIANEAS
INSTITVTIONES.

Quam

Permissu & auctoritate

Amplissimæ Facultatis Juridicæ in celeberrima Altdorfina.

PRÆSIDE

DN. WILHELMO LUDWELL
BORUSSO.

*Nobilissimis & Præstantissimis Dominis collegis
examinandam exhibuit.*

JOANNES SEBASTIAN à Güttingen.

Mense Januario,

ANNO M. DC. XXVII.



ALTDORPHI NORICORUM,
E Typographia Balthafaris Scherffij,
Universitatis Typographi.

DISPUTATIO QUARTA
AD
IUSTINIANAS

INSTITUTIONES

Quarta

Amplissima Facultate Juridica in celeberrima Altorfensi

FRATRES
DR. WILHELMO LIEBOWITZ
BORUSSO

JOANNES SEBASTIANUS QUINQUE

Altorfensi Facultate

ANNO M.DCC.XVII

ALTDORFII NORICORUM
E Typographia Bartholomaei Scherff
Universitatis Typographi





DISPUTATIO IV.

Ad Tit. 1. Lib. 2.

RESPONDENTE,

JOANNE SEBASTIANO à Güttingen.

THESIS I.

ET tantum de jure personarum : jus rerum (a) in tribus consistit differentiis, dominio, & obligationibus. (b) Differentiæ ex divisionibus (c) patent : quarum prima, quod omnes res vel in patrimonio nostro sunt, vel extra patrimonium. (d)

(a) Rei appellatio Varias habet in jure nostro significationes, quas recenset *Brach. in l. 23. ff. de V. S. Alciat. in d. l. 23. & l. 5. ff. eod. Calvin. in Lexico*. Hoc loco significat omne id, quod ad jus personarum, aut actionum non pertinet *Gœdd. add. l. 5. ff. de V. S.* Notandum autem quod *Vult.* monet, Jctos non tam spectare rerum substantiam, aut qualitatem intrinsecam & naturalem, quam jus quod in re quis habet, *ad pr. Instit. de rerum divisione n. 14.* (b) Tota enim de rebus tractatio in hisce consistit, 1. ut percipiamus rerum ipsarum qualitatem, qualis illa in jure sit, & quænam privati cujusq; esse aut fieri possint, quæ non : deinde quot modis illæ quæ possunt, sint cujusq; aut fiant, vel jure dominiij, vel obligationis. *Henning. wegen. Disput. ad Instit. 4. th. 1. Lit. A.* (c) Quarum duæ proponuntur, una h. t. altera seq. de reb. corpor. & incorp. (d) *pr. Instit. de rer. div. & acquir. ips. dom.* (In qua rubrica ultima verba, contra *Giphan.* rectè adjecta putamus) Huic divisioni similis est illa, qua res dicuntur vel in bonis esse, vel extra bona, *l. 1. ff. de Usufr. legat.* quamvis latius non nihil patere videatur, ut docet *Giphan. add. pr. n. 2.* & illa, qua res quædam

divini, quædam humani juris *l. 2. ff. h. t. Pet. Gilken. ad pr. Instit. h. t. n. 2. & Wesemb. n. 4.* Sed annon etiam res quædam sunt nec in patrimonio, nec extra illud? Affirmare videtur *d. l. 1. ff. de usu & usufr. legat. ubi servitutes dicuntur neq; ex bonis, neq; extra bona esse.* Sed verius est tertiam speciem non dari: quia & servitutes in bonis, sive patrimonio nostro esse, rectè dicuntur: cum persequendarum illarum nomine actiones habeamus *l. 52. ff. de acquir. rer. dom. & l. 49. ff. de V. S. juncto §. 2. Inst. de action. & tot. tit. ff. si servit. Vindic. & d. l. 1. ff. de usufr.* non simpliciter negare videatur, servitutes ex bonis esse ut docet *Clar. Dn. Ungep. Exercit. 5. q. 7. Adde Gædd. add. l. 49. Don. 4. comment. 5. ibiq; Hillig. lit. C. Vult. add. pr. n. 18. & Pet. Gilken. n. 28. Eliam Rob. D. 6. th. 3.*

II.

Extra patrimonium (a) sunt res communes, (b) publicæ, (c) Universitatis, (d) & nullius: (e) eaq; sacræ, (f) religiosæ, (g) & Sanctæ. (h) In patrimonio sunt res singulorum. (i)

(a) Sive extra bona: nam patrimonii appellatio hic generaliter, quicquid in bonis est, complectitur, *arg. l. 1. §. 7. ff. de Offic. præf. Urb. l. 25. §. 1. ff. de Hered. petit. l. 16. pr. ff. ad SCt. Trebell. aliàs specialiter & propriè significat bona paternal. 9. ff. rem pup. salu. fore. l. 38. ff. famil. ercisc. l. 61. ff. de condict. in deb. Myns. ad d. pr. Inst. h. t. n. 2. quod tamen nõ inmeritò displicet *Gilken add. pr. n. 5.* (b) Quæ nullius sunt, sed jure Gentium omnibus vacant, *l. 30. in fin. ff. d. acq. rer. dom. l. 51. ff. de contrab. emt.* nullius quidem quo ad proprietatem, *§. 5. Inst. d. t. n. 2.* communes verò omnibus quoad usum *§. 1. Inst. h. t.* Ejusmodi res sunt aër, aqua profluens, mare & littora maris *d. §. 7. feræ bestia, volucres, pisces & omnia animalia, quæ cælo, mari & terra nascuntur, §. 12. Inst. h. t.* Item lapilli, gemmæ, & cætera quæ in littore maris inveniuntur, *§. 18. Inst. & l. 3. ff. eod.* Q. quid aqua profluens hic significet? Aquam fluminis, quæ cum in perpetuò sit cursu, nec usquam consistat, nullius propria esse potest, sed communis omnibus, ut rectè *Don. 4. com. 2. Vacon. à Vacon. lib. 1. decl. 11. n. 4.* (c) Publicæ res in jure nostro variè dicuntur, ut monet *Giph. ad §. 2. Instit. h. t. & ibi Borch. n. 7. & aliquot seqq.* Hic intelliguntur publicæ juris gentium, quarum proprietas est po-*

est populi, usus vero communis & publicus *l. 2. ff. de damn. inf.* non
 tantum populi alicujus certi, ut putat *Wesemb. in w. ff. h. t. n. 3.* sed
 omnium *d. §. 2. & §. 4. Inst. h. t. Borch. add. §. 2. n. 5. Schneid. n. 7. & 2.*
Arum. Exer. 4. th. 4. cujusmodi sunt flumina *d. §. 2.* perennia non
 torrentia *l. 1. §. 3. ff. de fluminib. adde Wesemb. ad d. §. 2. n. 2.* portus,
 jus navigandi, jus piscandi *d. §. 2.* quo prohiberi nemo absq; injuria
 potest *l. 13. §. fin. ff. de injur.* nisi forte quis pluribus annis in fluminis
 diverticulo solus piscatus sit: tum enim alium eodem jure uti prohi-
 bere potest, *l. 7. ff. de divers. & temp. præscript.* quamdiu videlicet ipse
 eo utitur; quod si uti desierit, nulla hoc nomine competit præscri-
 ptio *l. 45. ff. d. Vsurp. & Vucap. Don. lib. 5. com. cap. 22. Pac. cent. 7. q. 1.*
Bronch. cent. 4. ass. 3. Adde Giph. ad §. 4. Inst. h. t. Item via publica *l. 24.*
pr. ff. de dam. inf. riparum quoq; licet proprietates eorum sit, quorum
prædiis hæret, usus tamen sicut ipsius fluminis publicus est d. §. 4.
Inst. & l. 5. pr. ff. de R. D. l. 30. §. 1. ff. de acq. rer. dom. Don. d. lib. 4. cap. 3. & ibi
Hillig. lit. D. wesemb. add. §. 4. n. 6. Inst. h. t. Paul. Berens. D. 3. th. 1. q. 4.
 (d) quarum proprietates est certæ alicujus Universitatis aut collegii,
 & usus singulis ex Universitate illa communis: Ut Theatra, stadia,
 balnea publica, porticus &c. *§. 6. Inst. h. t. l. 2. §. 2. ff. ne quid in loco publ.*
 Diversa ab his sunt ea quæ in patrimonio Civitatis & pecunia populi
 esse dicuntur *l. 6. ff. de contrab. emt.* Ut sunt Vectigalia, metalla publi-
 ca, peculia servorum &c. *l. 17. ff. de V. S. & ibi Gædd.* quæ ad Univer-
 sitatem quidem pertinent, sed usus earum non ad singulos, *Foman.*
D. 8. th. 10. Q An singuli de universitate admittantur ad testimoni-
 um dicendum in causa Universitatis? *Aff. arg. l. 6. §. 1. ff. de R. D. l. 7. §. 1. ff.*
quodcujusq; univers. nom. sub distinctione tamen quam habet *Pet.*
Gilken. add. §. 6. Inst. h. t. Adde Schneid. n. 5. (e) Variis modis res nul-
 lius dicuntur, ut docet *gloss. in l. 7. verb. nullius ff. h. t. & §. 12. Verb. simul*
atq; Inst. eod. 1. Natura, ut fera animalia, 2. temporis diuturnitate
 ut *Theaurus*, 3. facto, ut res pro derelicto habita. 4. Eventu quo-
 dam ac casu, ut res hæreditariæ antè aditam hæreditatem. 5. Censu-
 ra, ut res divinæ, quæ ita nullius sunt, ut nec esse regulariter alicujus
 possint; videlicet Sacræ Religiosæ & Sanctæ, *§. 7. Inst. h. t. l. 1. pr. l. 6. §.*
2. ff. eod. l. 782. ff. de R. I. adde wesemb. ad d. §. 7. (f) quæ ritè & solenni-
 ter, olim quidem à *Coll. dictatore*, Imperatore, præeunte & præ-
 cinnente *carmen Pontifice*, *§. 8. Inst. h. t. l. 6. §. 3. l. 9. §. 1. ff. eod.* hodiè

ab Artifice cujusq; loci Deo consecrantur *Nov. 67. v. 1. & N. 131. c. 7.*
Don. d. lib. 4. tit. 1. Ut ædes sacræ & donaria, puta vestes, vasa & alia,
d. §. 8. & d. l. 6. §. 3. ff. h. t. donaria enim hic de rebus mobilibus intelli-
genda sunt *Gl. ad d. §. 8. Don. d. c. 1. Wesenb. ad d. §. 8. n. 1.* Res autem ita
cultui divino semel consecratæ, nè usu quidem cessante, aut mutato,
ad profanos, sed ad alios usus pios converti debent *C. 51. de R. I. in 6.*
Schneid. ad d. §. 8. n. ult. Henon. d. D. 4. th. 4. Wesenb. n. 2. nec alienari vel
1 obligari possunt nisi ad redimendos captivos *d. §. 8. Inst. h. t. l. 14. l. 21. C.*
2 *D. SS. Eccles. Pauperes alendos d. l. 21. C. aurum 12. q. 2. vel urgens æs ali-*
3 *enum dissolvendum, Auth. hoc jus porrectum C. d. t. de SS. Eccles. & Nov.*
120. c. 6. & 7. Quibus casibus tamen causæ cognitio, decretum Epi-
scopi, & totius Cleri consensus ac subscriptio requiritur, *Schneid. ad*
d. §. n. 9. Elias. Rob. d. D. 6. th. 4. (g) à religando, relegendo aut relin-
quendo dictæ, *Borch. & Schneid. ad d. §. 9. Inst. h. t.* sunt, quæ privata cu-
jusq; voluntate & facto religioni & sepulturæ dicantur: inferendo
videlicet mortuum in locum proprium *d. §. 9. Inst. h. t.* An & commu-
nem? Omnino, si unus dominorum sit *l. 41. ff. de Religios. & sump. fun-*
secus si extraneus *d. §. 9. l. 6. §. 6. ff. commun. divid. Arum. Exerc. 4. th. 5.*
Cum autem in diversis locis corpus sepultum est, ille tantum religi-
osus sit, in quo caput conditum est *l. 44. ff. d. relig. & sump. fun.* Unde ta-
men perperam DD. inferunt, si quis in confinio duorum territorio-
rum occisus reperiatur, ad eum pertinere cognitionem in cuj⁹ terri-
torio caput occisi reperiatur, *Niell. D. Feud. ult. in coroll.* Estq; sepul-
turæ tantus favor, ut ob æs alienum nulla ratione inhiberi, aut Ca-
daver arrestari possit, pæna infamiæ, confiscationis tertiæ partis bo-
norum, amissionis debiti, & restitutionis similis summe debite in eos
constituta, qui hoc attentaverint, *l. fin. cum. Auth. seqq. C. de sepulch.*
Viol. N. 60. c. 1. N. 115. cap. 5. Schneid. ad pr. Inst. Quib. ex causis manumitt.
non licet n. 10. Q. An versus in alienum, *d. §. 9. Inst. h. t.* affirmative an
negative rectius legatur? Quamvis utraq; lectio satis commodum
sensem habeat, *Giph. & Vult. ad h. §. n. 2.* tamen propter *l. 6. §. 4. ff. h. t.*
ex quo hic §. desumptus est, affirmative potius videtur legendus,
Theoph. Wesenb. & Hortens. ad d. §. 9. Inst. h. t. (h) Quæ & ipsæ divi-
ni quodammodo juris, contra injurias hominum sanctione aliqua
munitæ sunt, *§. 10. Inst. d. t. l. 8. pr. l. 9. §. 3. ff. eod.* Ut sunt leges, portæ,
muri Civitatū, quos hostiliter violare capitale est, *d. §. 10. & l. fin. ff. d. t.*
Id quod

Id quod non in urbis Romæ tantum, sed & municipiorum muris
obtinere putamus, *arg. d. §. 10. d. l. 8. §. 2. & d. l. f. ff. h. t.* qui textus gene-
raliter loquuntur, & generalem quoq; subjectam habent rationem:
quod hostile sit & abominandum, Cives Romanos (cujusmodi sunt
etiam in municipiis viventes *l. 17. ff. d. stat. homin.*) alià, quàm per por-
tas egredi, *d. l. f. Gilken. add. l. 8. §. 10. n. 7. Gædd. ad l. 5. n. 17. ff. d. V. S. A-
rum. Exerc. 4. th. 8. And. Gerhard. D. 4. q. 3. Paul. Berens. d. D. 3. th. 1. q. 1.*
(i) Quæ à singulis rectè possideri, & jure gentium vel civili acquiri
possunt, *§. 12. Inst. h. t. & arg. l. 23. ff. d. Rei Vind.*

III.

Dominium (a) est jus (b) de re corporali (c) pro
arbitrio disponendi (d) & vindicandi; (e) quatenus
quis lege, (f) aut conventionem non prohibetur. (g)

(a) Dominium à domo deducunt *Giph. ad d. §. 12. Inst. h. t. Don.
g. com. 8.* Alii à *δομῶν* quod subjiçio significat *Tholos. lib. 1. Syntag.
Jur. Univers. c. 12. n. 2.* Alii à verbo *δέμω*, quod extruo & ædifico
significat, Alii aliter, ut videre est apud *Hillig. ad Don. d. cap. 8. lit. A.*
Eodem sensu dicitur & proprietas *l. 9. §. 6. 7. l. 13. l. 36. ff. de acquir. rer.
dom. Cujac. lib. 10. obs. 16. Duar. 1. Disp. 17.* Aliquando quidem nudam,
significat, à quâ usufructus abest *§. 1. & Ult. Inst. l. 22. ff. de usufr.* sed
& dominium eodem modo *l. 6. pr. l. f. pr. C. de bon. quæ liber. Don. d. c. 8.*
(b) *l. 2. C. de prescript. 30. vel 40. annorum l. f. C. ne rei dominic. & templ.
Vind. l. 6. C. de pact. inter Empt. & Vend. l. fin. C. de fund. patrim. Petr.
Gilken in prelud. adh. 1. n. 41.* (c) Dominium enim propriè de rebus
corporalibus prædicatur, de incorporalibus verò impropriè & per
similitudinem, *arg. 1. Inst. de rer. divis. ff. de acquir. rer. dom. & de R. U.*
quemadmodum & possessio primariò de rebus corporalibus *l. 3. pr.
ff. de acquir. poss. l. 4. §. 27. de Usucap.* Secundariò de juribus & servitu-
tibus dicitur *l. 3. in fin. ff. si Usufr. pet. l. 49. §. 1. ff. de acquir. possess. l. 2. §.
fin. ff. de precar. l. fin. ff. de Servit.* à quâ dominium cepisse ait *ICt. in l. 1.
§. 1. ff. de acquir. poss. Gilken. d. loc. n. 26. & seqq. Schneid. ad §. 12. Inst. h. t.
n. 2. Don. d. lib. 9. cap. 8. & ibi Hillig. lit. D. Cujac. d. lib. 10. obs. 16. Duar. 1.
Disp. 17. Coras. lib. 6. Miscell. c. 20.* (d) *arg. l. 21. C. mand. l. 9. C. de judeis &
galic. ad differentiam tutorum, Curatorum & similiarum personarum,*
quæ

quæ administrationem quidem & dispositionem alienarum rerum habent, sed non perfectè aut pro arbitrio suo *l. 6. §. 3. ff. pro emptore.* Adde *Gilken. d. loc.* qui tamen *n. 42.* inter liberè, & ex arbitrio disponere, nimis subtiliter distinguere videtur. (e) Alter domini effectus est, vindicare rem, si ab alio possideatur, vel detineatur *l. 23. ff. de R. V. Mysing. ad rubricam. n. 4. Inst. h. t.* quem vocabulum vindicandi non male definitioni inseruisse contra *Gilken d. loc. n. 32.* putamus (f) lex enim facultatem istam pro arbitrio disponendi moderatur, & in quibusdam dominis propter certas causas impedit, ac restringit. Sic maritus quamvis prædii dotalis Dominus sit, alienare tamen aut oppignorare illud, ne consentiente quidè uxore potest, *pr. Inst. quib. alienar. licet.* Pupillis quoq; & minoribus absq; tutorum, vel curatorum autoritate & consensu, nihil ex bonis suis alienare permittitur *§. 2. Inst. d. t. & pr. supra. de Auth. tut.* (g) Nam & pacta nonnunquam liberam dispositionem impediunt: Ut debitori res oppignoratae quidem Dominus est, eam tamen propter conventionem cum creditore initam alienare nequit *l. 66. ff. de furt. Schneid. ad d. §. 11. n. 2.* Quamvis fortassis hæc Ultima verba: nisi quatenus &c. superflua videri possint: utpotè quæ in ipso genere insunt, *Valent. Rem. Dec. 4. q. 1.*

IV.

Dividitur (a) in plenum & minus plenum (b) non in proprietatis & Juris, (c) nec directum & utile. (d)

(a) Sed in gradus potius, quàm species perfectas. Nam dominium in jure nostro unicum est, nec in species dividitur, ut rectè *Giphan. ad d. §. 11. Instit. h. t. Treut. Vol. 1. D. 15. th. 2. lit. G.* olim quidem dividebatur in naturale & Civile, sive bonitarium & Quiritarium; verùm hanc divisionem sustulit *Justin. t. C. de nudo jure Quirit. tollend. Cujac. in w. C. h. t.* (b) dominium plenum, quod & pleno jure dominium dicitur *l. 11. C. de act. empt.* Et plenum jus *l. 17. inf. ff. de rei Vind.* nihil aliud est, quàm proprietatis rei cum Usufructu conjuncta *l. 17. ff. Quib. mod. Usufruct. amittat. l. 126. §. 1. ff. de V. O.* Minus plenum est nuda proprietatis absq; jure utendi usufructum partem videmus appellari, ut fundus vel res totum sit *l. 58. ff. de V. O.* In non pleno pars domini aut fundi esse negatur in *l. 25. ff.*

l. 25. ff. de V. S. ibiq. Gædd. (c) dominium Interpretes dividunt in proprietatis & juris; juris iterū in servitutis, possessionis, & obligationis, Gædd. ad d. l. 25. & l. 49. ff. de V. S. Valent. Riem. Dec. 4. q. 2. quod tamen possessionis dominium non agnoscit. Verum hæc nominis potius distinctio, quàm rei ipsius divisio est. Nam in his phrasibus dominium proprietatis, dominium ususfructus, etiam verbum domini generaliter pro jure aliquo, sive potestate in rem accipitur; ut rectè docet Giph. ad d. §. 11. Inst. h. t. cum dominium rebus in corporalibus propriè non competat ut *th. preced.* dictum. (d) directum vocant, quo ipsa res nostra est: Utile verò quo jus aliquod in re, quale esse putant in emphyteuta, Vasallo, superficiario &c. Schneid. ad d. §. 11. n. 4. Wesenb. in *ω.* ff. de acq. rer. dom. n. 4. Coras. 6. Miscel. 20. Vacon à Vacon. 2. Decl. 43. & Dd. magis communiter, sed actionum hæc divisio est in jure nostro, non domini: & alio planè sensu dicitur actio directa & Utilis, quam Dd. dominium directum & Utile accipiunt. Accedit quod Emphyteuta expressè dominus esse negatur in l. 1. §. 1. ff. si ager vectig. Superficiarius à domino separetur l. 49. ff. de V. S. Et vasallus quoq; tanquam dominus, quasi vindicare posse dicatur inc. un. §. rei autem de invest. de re al. fact. 2. Feud. 8. Vult. ad pr. h. t. n. 24. Pet. Gilken. d. loc. n. 44. & seqq. Cujac. lib. 11. obs. 35. Don. d. lib. 9. com. c. 14. & ibi Hillig. lit. Q. Niell. d. Feud. 3. th. 6. lit. B. Trentl. d. th. 1. lit. G. Bronch. cent. 1. Miscel. as. 38. Valent Riem. d. q. 2. sub. fin. An igitur docendi saltem causâ vulgaris hæc distinctio retineri possit? Negamus & hoc; quia naturam domini confundit, ut rectè Tileman. in disp. Pand. part. post. D. 13. th. 5.

V.

Acquiritur dominium vel jure gentium, vel jure Civili (a) Jure Gentium, Occupatione, accessione, specificatione & traditione. (b) Occupatio fit venatione bestiarum, (c) captivitate in bello, (d) Et inventione rerum, quæ vel nullius fuerunt, (e) vel esse desierunt. (f)

(a) §. 11. Inst. h. t. & l. 1. ff. de acquir. rer. dom. Quamvis enim jure naturali omnia fuerint communia: l. 5. ff. de just. & jur. tamen cum re-
cta ratio & Experientia doceret, aucto hominum numero, in communione hac, genus humanum diu persistere non posse: Jure genti-

K

um do-

um dominiorum distinctio introducta, & jure civili confirmata est,
d. §. 11. Myns. ad rubr. Inst. d. R. D. n. 12. & 13. Don. 1. com. 7. Conrad. Lag.
in Method. jur. p. 2. c. 24. Arum. Exerc. 4. th. 2. Quod juri divino quo-
que consentaneum, arg. septimi præcepti in Decal. nec in Novo testa-
mento sublatum, Danaus 2. Eth. Christ. c. 15. adde Hunn. 2. variar. res.
rr. 1. q. 1. (b) Modi jure Gentium dominium acquirendi, plures enu-
merantur, Inst. b. t. d. R. D. & ff. de acquir. rer. dom. qui ad hæc quatu-
or summa genera non malè revocantur à Goedd. ad l. 23. n. 4. ff. de V.
S. Vult. ad d. pr. Inst. b. t. n. 28. & in Iurisp. Rom. lib. 1. c. 70. (c) Quod
enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, §. 12
Inst. b. t. l. 1. in fin. l. 3. pr. ff. de acquir. rer. dom. Idq; si vè in suo, si vè a-
lieno fundo quis venatus, vel aucupatus fuerit, d. §. 12. Ingredientem
tamen dominus, si præviderit, prohibere potest, d. l. 3. §. 1. & l. 5. §. 3
ff. de acquir. rer. dom. cui si non parverit, sed contra prohibitionem
ingressus fuerit, injuriarum tenetur l. 13. in fin. ff. d. injur. & arg. l. 25.
ff. de act. emt. veletiam ex l. Aquil. Si fructus fundi fortè læserit, Giph.
ad d. §. 12. Sed quod ita cæpit, nihilominus sibi acquirit, quia hic
non jus soli, nec ingressum prohibitum, sed occupationem rei com-
munis iure licitam inspiciamus. Myns. ad d. §. 12. n. 8. Wesenb. n. 2.
Schneid. n. 8. Don. lib. 4. c. 8. ibiq; Hillig. lit. F. Arum. d. Exerc. 4. th. 11.
Dn. Ungepr. Exerc. 5. q. 4. in Ajo. Hinc consequens, ingressum ante do-
mini prohibitionem, ab eo expelli & ejici non posse, quamvis inju-
riarum teneatur, arg. d. l. 25. ff. d. act. emt. Niell. D. 8. th. 6. lit. B. De
piscibus controvertitur, sed verius videtur & eos non in proprio
tantum, sed & alieno Lacu vel stagno capientium fieri: quia & ipsi
æq; ac feræ in naturali libertate relictæ sunt, l. 3. §. 14. ff. d. acq. vela-
mitt. poss. Cuiac. lib. 4. obs. 2. Forst. D. 6. q. 12. Niell. d. D. th. 7. Et hæc o-
mnia jure gent. & Civil. nostro Romano ita obtinebant. Moribus
verò hodiernis ab eo recessum est, & Principes ac Magnates jus ve-
nandi ad se traxerunt: ita ut privatis, ne in proprio quidem fundo
piscari amplius liceat, An jure? Omnino per ea, quæ habet Wesenb.
in w. ff. d. acquir. rer. dom. n. 7. Fachin. 1. contr. 1. Arum. d. Exerc. th. 9.
Hen. D. 4. th. 6. Dn. Ungepr. d. q. 4. in Nego. And. Gerhard. D. 4. q. 4.
Modò tamen superiores operam dent, ne feræ privatorum agros de-
pascantur, & si aliter fiat, damnum resarciant, arg. §. 1. Inst. si quadr.
paup. fecis. dic. Geij. 2. obs. 68. Niell. d. D. th. 8. lit. D. Q. An Venatores
contra.

contra interdictum Principis rectè ultimo supplicio afficiantur. Aff. Si de summa contumacia & contemptu Principis constet; aliàs pro qualitate delicti levius puniri æquius est. Henon. d. th. 6. sub. f. (d) sive res sint sive hominès qui capiantur, §. 17. Inst. h. t. d. l. 5. §. fin. l. 7. pr. l. 51. §. 1. ff. de acq. rer. dom. In rebus tamen distinguendum est, ut immobiles quidem publicentur, l. 20. §. 1. ff. de capt. & postl. revers. mobiles verò singulis capientibus acquirantur, d. §. 17. & d. l. 5. §. fin. Si videjicet durante adhuc bello & hostibus nondum devictis captæ fuerint. Nam quæ devictis aut expulsis jam hostibus capiuntur, ipsius Reipubl. sunt, ideòq; militibus non acquiruntur, l. pen. ff. ad L. lul. pecul. Don. d. lib. 4. c. 21. Dn. Ungep. d. Exerc. 5. q. 5. Elias Rob. D. 7. th. 5. Andr. Gerhard. d. D. q. 5. Quæ verò ab hostibus virtute bellicâ recuperantur, ea ad pristinos dominos redeunt l. 19. §. 5. l. 20. §. 1. l. 28. ff. d. capt. & postl. revers. Don. d. cap. 21. Dn. Ungep. d. q. 5. inf. Utrum autem prædium privati ad coërcendas hostiles incursiones dirutum, ex publico solvendum sit, non convenit inter DD. Nobis affirmativa placet, arg. l. 13. §. 1. ff. communia de success. l. 2. C. pro quib. causis servi pro premio libert. Geil. 2. obs. 56. n. 8. (e) Ut sunt lapilli, gemmæ & cætera, quæ in littore inveniuntur hoc §. nost. & l. 3. ff. h. t. Verùm & hunc modum Principes hodiè ad se transtulerunt. Bona autem naufragorum, licet in littore inveniuntur, neq; ad inventorem, neq; ad dominum territorij pertinent, sed ipsis naufragis reddenda sunt, arg. l. 20. §. 1. ff. d. acq. poss. Auth. Navigia. C. de furt. Const. crim. Car. V. art. 218. Geil. 1. Obs. 18. (f) Cujsmodi sunt res pro derelicto habitæ, quæ ea mente abjecit dominus, ut amplius in numero rerum suarum esse noluerit: ideòq; statim ejus esse desinunt, & occupanti acquiruntur §. pen. Instit. h. t. l. 2. l. 5. §. 1. ff. pro derelicto Borch. ad d. §. pen. n. 2. Foman. D. 9. th. 5. lit. D. Idq; in rebus immobilibus etiam verum esse rectè docet Accurs. ad d. §. pen. & ibi Schneid. & Gilken. n. 7. His autem non annumeramus ea, quæ in tempestate levandæ navis causâ ejiciuntur, §. f. Inst. d. t. l. 8. ff. de l. Rhod. de jactu, nisi & ipsas derelinquendi animo ejectas esse constet l. 43. §. pen. ff. d. furt. Glos. ad d. §. fin. & ibi Gilken. Foman. d. D. th. 6. Arum. d. Exerc. th. fin. Huc pertinet quoq; Thesaurus, qui in loco proprio, sive fortuito sive datâ operâ inventus, modo absq; magicis artibus, ut & in loco sacro vel religioso casu repertus, totus inventori cedit: In ali-

eno verò si inveniatur, dimidium inventori, dimidium verò domi-
 no acquiritur, de loco publico fiscali, Cæsaris, Civitatis, sive profa-
 nus is sit, sive religiosus idem dicendum §. 40. *Inst. h. t. l. un. C. d.*
Theaur. l. 3. §. pen. ff. d. jur. fisci. Giph. add. §. 40. Conn. 2. com. 4. Bronch.
sent. 3. assert. 80. Adde Gilken. add. §. 40. & Dn. Ungep. d. Exerc. q. 13.
Henon. d. D. 23. Q. Thesaurus in fundo Emphyteutico aut feuda-
li inventus, ad quem pertineat? Et si quidem tertius aliquis invene-
rit, inter ipsum & dominum soli dividendus est: Si verò ipse Emphy-
teuta vel Vasallus, inter hos & dominum dividi debet, d. §. 40. & l. 63.
§. 3. ff. de acq. rer. dom. Gilken. in prelud. ad h. t. n. 57. & ad d. §. 40. n. 29. He-
non. d. D. th. 24. Paul. Berens. d. D. 3. th. 2. q. 3 Et hæc omnia in vero The-
 sauro ita obtinent. Nam si quis pecuniam in terra custodia causâ ab
 aliquo absconditam inveniatur, eam suam non facit l. 44. ff. de acq.
 poss. l. 15. ff. ad exhibend. l. 67. ff. de R. V.

VI.

Accessio vel naturalis est, vel industrialis. (a) Na-
 turalis contingit beneficio vel rei nostræ; ut in foetu a-
 nimalium nostrorum, (b) alluvione, (c) insula in flu-
 mine nata, (d) & alvei mutatione: (e) vel alienæ; ut
 in perceptione fructuum, (f) facta à bonæ non malæ
 fidei possessore, (g)

(a) arg. §. 19. & §. 25. *Inst. h. t. Vult. in Iur. Rom. d. cap. 70.* (b) Quod
 enim ex animalibus nostris nascitur, nostrum est, §. 19. *Inst. h. t. l. 6. ff. d.*
acq. rer. dom. Ideoq; si Equam meam equus tuus prægnantem fece-
 rit, non tuum sed meum est, quod inde natum est, l. 5. §. 2. ff. de R. V.
 Idem dicendum etiam de rationalibus, sive servis nostris; nam &
 quod ex ancilla mea nascitur, meum est, §. 4. *Inst. de Iur. person. & l.*
7. C. de R. V. Hoc tamen discrimine, quod foetus animalium in fructu
 sit, partus ancillæ non item: quia absurdum visum fuit, hominem in
 fructu esse, cujus gratiâ omnes fructus natura produxit, §. 38. *Inst. h. t.*
l. 28. ff. d. Usur. l. 68. ff. de Usufr. Giph. ad d. §. 38. h. t. (c) Cum ita pau-
 latim aliquid fundo nostro flumen adjicit, ut intelligi nequeat,
 quomodo, quoquo temporis momento adjiciatur, §. 20. *Inst. h. t. l. 7.*
§. 1. ff. de acq. rer. dom. Quod si vis, & impetus fluminis partem ali-
 quam vicino prædio detractam, nostro adjecerit, ita demum no-
 bis acquiritur, si tam diu cohæsit, ut cum nostra coaluerit, & arbo-
 res si

res si quæ sint, radices immiserint, §. 21. d. l. 7. §. 2. l. 26. §. 2. ff. d. t. l. 9. §. 2. ff.
de damn. inf. Borch. & Giph. ad d. §. 21. Dn. Ungep. d. Exercit. 5. q. 6. Adde
Gilken. ad d. §. 21. Locus autem alluvioni est tantum in fluminibus,
 non lacubus aut stagnis : l. 12. ff. de acq. rer. dom. l. 24. §. fin. ff. de aqua &
 aq. plu. arcend. & fluminibus ita demum, si agri arcifinii, non limi-
 tati fuerint, l. 16. ff. d. t. de acq. rer. dom. Borch. & Giph. ad d. §. 21. Don. d.
 lib. 4. com. c. 27. (d) Quæ si in medio fluminis sit, illorum est, qui ab
 utraq; parte vicina prædia habent; si verò alteri parti propior, ejus
 erit, ad cujus prædium propius accedit §. 22. Inst. d. t. d. l. 7. §. 3. ff. eod.
 non proprietate solùm, sed etiam usu, Don. d. lib. 4. c. 29. ibiq; Hillig.
 in not. Arum. d. Exercit. th. 14. Niell. d. D. 8. th. 11. Extremitate ejus ex-
 ceptâ, quæ ripæ instar est, & propterea usu publica arg. l. 30. §. 1. l.
 pen. §. 1. & Ult. ff. d. acq. rer. dom. Dn. Ungep. d. Exerc. q. 7. Andr. Gerb.
 d. D. 4. q. 6. (e) Alveus enim à flumine relictus, pro modo latitudi-
 nis acquiritur, prædia vicina habentibus, §. 23. Inst. h. t. & d. l. 7. §. 5.
 ff. eod. usu enim tantum abstulerat occupatio fluminis : Don. 4. com.
 28. novus autem alveus publicus est, l. 1. §. 7. ff. de fluminibus & c. qui
 iterum post tempus aliquod à flumine derelictus, non prioribus
 dominis, sed vicinos agros propè ripam possidentibus acquiritur, d.
 §. 23. & d. l. 7. §. 5. ff. h. t. Treutl. d. D. 20. th. 5. lit. G. adde Gilken. ad d. §. 23
 Aliud est in inundatione, quæ quia fundi speciem non mutat, nec
 dominium aufert §. 24. Inst. h. t. & d. l. 7. §. 6. ff. eod. (f) Fructus in gene-
 re vel civiles sunt, qui non ex ipso rei corpore proveniunt, sed oc-
 casione rei percipiuntur : cujusmodi sunt Usuræ, pensiones, mer-
 cedes & c. l. 34. ff. d. Usur. l. 83. ff. de legat. 3 Naturales qui ex ipso cor-
 pore nascuntur, iiq; vel naturales in specie, vel industriales, arg. §. 36.
 Inst. h. t. l. 45. ff. de Usur. quorum illi à sola natura proveniunt, homi-
 nis opera parum vel omninò non cooperante : hi verò qui coope-
 rante quidem naturâ, sed non tamen absq; industria humana obve-
 niunt. Vult. lib. un. discept. c. ult. wesenb. ad d. §. n. 8. & Gilken. c. 6. de
 fruct. n. 15. Illic. Umm. Disp. ad process. 21. th. 4. Ad naturales autem re-
 ferimus, non tantum poma, pira, foenum & c. sed etiam lac, lanam
 & foetum ovium ac cæterorum animalium arg. l. pen. §. Ult. ff. d. pecul.
 Myns. ad d. §. 36. Inst. h. t. (g) Bonæ fidei possessor est, qui putat se
 justè possidere : contrà malæ fidei, qui scit se injustè possidere
 arg. d. §. 36. Inst. h. t. de dubitante & errante in jure contro-

vertitur: Nos utrumq; pro. b. f. possessore habendum putamus; Il-
lum quidem arg. l. fin. C. de condict. indeb. l. fin. §. 2. ibid. Sin autem ne-
scius & dubitans C. de furt. Fachin. 7. contr. 65. Zang. de Except. p. 3. c. 8.
n. 44. Umm. d. D. 21. th. 3. n. 18. Hunc verò per l. 25. §. 6. ff. de Hered. pe-
tit. & l. 32. §. 1. ff. de Usur. & Usucap. quamvis tamen fructus sibi non
acquirat hic posterior, l. 14. C. de SS. Eccles. quia error juris ad acqui-
rendum nemini prodesse debet, l. 4. l. 7. l. 9. ff. de jur. & fact. ignorant.
Gædd. ad l. 109. n. 5. ff. de V. S. Arum. Exerc. 6. th. 6. Hen. D. 6. th. 8. Bo-
næ fidei igitur possessor omnes omninò fructus percipiendo suos
facit, sive naturales sint, sive industriales, l. 25. §. 1. l. 28. ff. de Usur. l. 48.
pr. ff. de acq. rer. dom. l. 78. ff. de R. V. Govean. 2. Variar. lect. 15. Vult. d. c. ult.
Bronch. cent. 3. Assert. 78. Elias Rober. d. D. 7. th. 7. Paul. Berens. d. D. 3.
th. 2. q. 7. Sed revocabiliter, antequam consumat: quia consumptio
demum est, quæ plenè & irrevocabiliter fructus bonæ fidei possessori
acquirat, d. §. 36. ibi consumtis, Inst. h. t. l. 4. §. 5. & 19. ff. de usur. & usuc.
Fach. 7. cont. 57. Nam extantes omnes unà cum re, vindicanti domino
restituere cogitur, d. §. 36. l. 22. C. de rei Vind. Vult. d. cap. ult. Rober. d.
D. th. 8. Berens. d. th. 2. q. 8. Imò nonnunquam etiam de consumtis, si
videlicet ex iis factus sit locupletior, eum teneri æquius est, l. 25. §. 11. ff.
l. 1. §. 1. C. de hered. petit. arg. l. 72. ff. d. legat. 2. l. 23. ff. de adm. vel transf.
leg. cum nemo cum jactura alterius locupletari debeat, l. 38. l. 55. ff. d.
t. d. hered. petit. Treutl. vol. 1. Disp. 15. th. 11. lit. G. & vol. 2. D. 20. th.
5. lit. K. Dn. Ungep. d. Exerc. 5. q. 12. in Aio, Contrà autem malæ fidei
possessor nullos omninò fructus sibi acquirit, l. 33. ff. de R. V. l. 25. ff. d.
Usur. pr. sed omnes restituere tenetur, l. 22. C. de R. V. non percepto
tantum, sed & quos percipere honestè potuit, §. 2. Inst. de off. jud. l. 25.
§. 41. ff. de hered. petit. l. 10. §. 20. ff. quæ in fraud. credit. Vult. d. c. ult. Bronch.
cent. 2. ass. 28. Rober. d. D. 7. th. 10. relatione ad petitorum potius, quàm
ad possessorem factâ ut videlicet in fructibus æstimandis attendatur,
non quos possessor, sed quos petitor percipere potuisset l. 62. §. ult.
ff. de R. V. l. 4. C. Vnde vi, Philipp. Matth. ad l. 78. n. 9. & seqq. ff. de R. I. Tr.
d. Disp. 15. th. 11. lit. C. Henon. d. D. 4. th. 20. Nec interest, titulum habe-
at malæ fidei possessor, an non d. §. 2. Inst. de off. judic. l. 22. C. d. rei Vind.
l. 1. C. de hered. petit. qui textus generaliter & indistinctè loquuntur.
Henon. d. th. 20. Idem dicendum de eo, qui ab initio quidem bonæ
fidei possessor fuit, sed postea scientia rei alienæ supervenit, l. 23. §. 1. l.
40. l. 48. §. 1. ff. de acq. rer. dom. Elias Rob. d. D. 7. th. 9.

7. In-

arg. l. 4. §. 2. ff. de heredit. petit. arg. l. 72. ff. de legat. 2. l. 23. ff. de adm. vel transf. leg.

80

VII.

Industrialis accessionis species sunt, inædificatio,
 (a) intextura, (b) implantatio, (c) factio, (d) scriptura,
 (e) pictura, (f)

(a) Sive quis in suo solo ex aliena materia ædificet; sive in solo alieno ex materia sua. Priori casu, ædificans r. ædificii dominus, licet is qui materiæ dominus fuit, dominium non amittat; §. 30. *Inst. h. t.* & ibi *Wesenb. adde; Gilken. add. §. 30. n. 8. & seqq.* Int. im tamen nec vindicare tignum, nec ad exhibendum agere potest: sed actione de tigno juncto duplum ejus consequitur, *d. §. 30. l. 7. §. 10. ff. h. l. 23. §. pen. ff. d. R. V. l. 6. ff. ad exhibend.* Idq; sive bonâ, sive malâ fide junctum fuerit, *arg. l. d. 23. §. pen.* quia semper æquum est, ut domino præstetur id quod interest, quod & aliâs duplo taxari solet, *l. 43. & seqq. ff. de act. empt. Giph. ad d. §. 30. ibiq; Schneid. n. 6. Rober. d. D. Cor. 1. sive furtivum sit tignum, sive non, arg. d. l. 23. §. pen. ff. de R. V. Hunn. Variar. res. lib. 2. tr. 1. q. 19.* Hoc tamen discrimine, quod actio hæc adversus bonâ fide ædificantem, rei sit persecutoria: adversus malâ fidei vero ædificatorem pœnalis, *Vult. ad d. §. 30. n. 1. Hunn. d. q. 19.* adversus quem præterea etiam rei vindicatio, & actio ad exhibendum locum habet, saltem ad tigni æstimationem, quasi dolo possidere defierit, *l. 2. 2. ff. de tigno junct. & d. l. 23. §. pen. ff. de R. V. Cujac. lib. 23. obs. 19. Rober. d. loc. Bronch. cent. 4. ass. 76.* Sed potestnè is qui convenitur actione de tigno juncto, tignum eximere, & ita dupli condemnationem evitare? *Neg. per. l. 1. ff. de tigno junct. l. 6. ff. ad exhibend. Gilken. add. §. 30. n. 29. Hunn. d. loco q. 21.* Posteriori casu, cum quis in alieno solo ex sua materia ædificat, ædificium domino soli acquiritur, sed cogitur is prætium materiæ & mercedes fabrorum solvere; si bonâ fide ædificatum fuerit, Nam si malâ fide, materiæ proprietatem amittit, ut nè diruto quidem ædificio, eam vindicare possit, *§. 31. Inst. h. t. d. l. 7. §. 12. l. 14. ff. d. donat. nisi fortè sciente & patiente domino ædificium, extractum sit, l. 2. C. de R. V. arg. l. 5. §. 2. ff. de dol. mal. & met. except. Fachin. 2. contr. 55.* (b) Quæ purpura etiam pretiosior vel quodcunq; ornatus gratiâ apponitur, vesti cedit, *§. 27. Inst. h. t. l. 23. §. 2. ff. d. rei, Vind. l. 26. §. 1. ff. d. acq. rer. dom.* dominus tamen rei, quæ accessit, pretium ejus consequitur, conditione sinè causa, *Wesenb. & Myns. ad d. §. 27.* Contra furem, si furto ablata res fuerit, etiam condictio furtiva

*Aliud dicitur si quis
 in solo alieno ædificet
 l. 6. ff. de R. V. d.*

C



tiva & actio furti pœnalis competit, d. §. 27. inf. & ibi Mynf. & Borch.
(c) si vè enim quis plantam suam in alieno, siue alienam in suo solo
posuerit, semper ea solo cedit, si modò cum terra coaluerit, & ra-
dices egerit, §. 32. Inst. h. t. & d. l. 7. §. 2. ff. d. acq. re. dom. l. 9. §. 2. ff. d.
damn. inf. Vindicatio tamen ^{ut} priori domino competit, ad hoc,
ut aut arbor reddatur, ^{aut} aestimatio ejus, & interesse præstetur, l. 5. §.
3. ff. d. R. V. wesenb. ad d. §. 32. n. 1. Foman. D. 9. th. 18. l. F. Hisce con-
sequens est, arbor in confinio positam, si in vicini ejus fundum,
radices egerit, communem fieri, d. §. 32. d. l. 7. §. 13. & l. 8. ff. d. acq. rer.
dom. q. si verò in fundo vicini posita, in meum radices ita im-
miserit, ut non aliundè alatur, nec alibi consistere videatur, mihi
jure soli acquiritur, d. §. 32. & d. l. 7. §. f. Schneid. ad d. §. 1. n. 3. Adde Giph.
ad d. §. 3. (d) Quà enim ratione plantæ, eadem & frumenta & quæ-
cunq; sata sunt, solo cedere intelliguntur: ita tamen, ut uterq; &
qui in alieno plantavit, & qui alienum agrum bona fide conseruit, la-
boris sui ac seminis precium consequi possit, §. 33. Inst. h. t. & l. 9. pr. ff.
d. acq. rer. dom. Quid si quis ex semine meo in alieno fundo semina-
vit, contra quem agam? Vide Accursium ad d. §. 33. (e) Nam si quis
in alienis Chartis, membranis vè scripserit, literæ quamvis aureæ, e-
jus sunt, cujus chartæ vel membranæ §. 34. Inst. h. t. d. l. 23. §. 3. ff. d. R.
V. l. 9. §. 1. ff. d. acq. re. dom. ita tamen ut is, qui bonâ fide scripsit, ex-
ceptione doli mali, si possideat, sumptus scripturæ consequatur d. §.
34. inf. & ibi Mynf. Adde Don. d. lib. 4. c. 35. Q. An idem quoq; hodiè
adhuc obtineat? Negat hoc Schneid. ad d. §. 34. & alij. Sed verior est
affirmantium opinio, cum hic nihil mutatum reperiatur: quia mu-
tatum non est, cur stare prohibeatur? l. 27. C. d. testam. l. 32. in fin. C. d.
appell. Gloss. ad d. §. 34. Dn. Ungep. d. Exerc. 5. q. 10. inf. (f) quæ propter præ-
stantiam suam tabulam ad se trahit, ita ut is qui in aliena tabula bonâ
fide pinxit, tabulæ quoq; dominus efficiatur, eamq; etiam à Domino
priori directò vindicare possit. Quod si ipse pingens possideat ta-
bulam, domino priori utilis vindicatio conceditur §. 35. Inst. d. t. l. 9. §.
2. ff. d. t. d. acq. re. dom. Verùm de pictura, an ea tabulam ad se trahat,
dissensionem inter veteres Jctos fuisse, apparet non tantum ex d. §.
35. pr. sed etiam ex d. l. 23. §. 3. ff. d. R. V. ubi ejus dissensionis vestigi-
um relictum est, eam fortè ob causam ne illa controversia silentio
involveretur, Arum. d. Exerc. 4. th. 18. Dn. Ungep. d. q. 10. Adde Don.
d. lib. 4. c. 36. Gædd. ad l. 14. ff. d. V. S. Pac. Cent. 3. q. 43. 8. Huc

Huc pertinet materia. impensarum (a) de qua ita jus est, ut bonæ fidei possessor omnes exceptiones doli: (b) malæ fidei verò necessarias tantum officio judicis servet (c) utiles autem & voluptuarias duntaxat tollere & abradere possit. (d)

(a) Impensæ, quæ nihil aliud sunt, quàm sumptus in rem alienam facti, vel necessariæ sunt, quæ si factæ non fuissent, res aut peritura, aut deterior futura fuisset, *l. 79. ff. d. V. S. l. 1. §. 1. ff. d. impens. in res dot. fact.* vel utiles, quæ meliorem rem faciunt, & fructus augent, *l. 5. §. fin. ff. d. t. & d. l. 79. §. 1. ff. d. V. S.* Voluptuariæ, quæ ad voluptatem tantum & ornatum speciei faciunt, *l. 7. pr. ff. d. t. de impens. & c. & d. l. 79. §. 2. ff. d. V. S.* (b) sive necessariæ sint sive utiles, sive voluptuariæ, *l. 38. & l. 39. §. 1. ff. d. hered. petit.* Idq; regulariter verum est: nam quibusdam casibus, jus tantum auferendi locum habet, *l. 38. ff. d. R. V. l. 8. ff. d. impens. in res dot. fact. Henon. d. D. 4. th. 13 14. 15. lit. A. Dn. Ungep. Exerc. 6. q. 2.* Sed quid si fortè non retentis, aut ablatis impensis res restituta fuerit, poteritne actione aliquâ impensas illas repetere? Et verius est, illas non aliter servare posse, quàm doli exceptione *l. 1. ff. d. doli Except. junct. l. 14. ff. d. condic. indeb.* quæ officio judicis effectum consequitur, *l. 48. ff. d. R. V.* actionem autem hoc nomine nullam competere *l. 14 §. 1 ff. commun. divid. l. 14. ff. d. t. de dol. mal. & met. except. l. 33. ff. de condic. indeb.* Nisi fortè quis non suo sed alieno nomine rem gesserit, inq; eam sumptus fecerit; tunc enim ei adversus dominum utilis negotiorum gestorum actio competit, *l. 6. §. 3. ff. de negot. gest. Don. 20. com. 7. ibiq; Hillig. lit. K. Dn. Ungep. d. Exerc. 6. q. 7.* Huic sententiæ consequens est, res, in quam impensæ factæ sunt perempta, neq; bonæ neq; malæ fidei possessorem, quicumque earum nomine consequi posse, utpote cum nullum supersit remedium, quo peti eas possint, *Adde Don. d. c. 7. (c) l. 36. §. f. l. 38. ff. de hered. petit. l. 5. C. de rei vind. Don. d. c. 7. Bronch. cent. 3. ass. 17.* Nec distinguimus inter simplicem malæ fidei possessorem, & furem; quia & prædo necessarias impensas consequitur *d. l. 38. ff. b. t. Fachin. 2. contr. 54. Hun. 2. Var. res. tr. 1. q. 22.* Q. An doli quoq; exceptio malæ fidei possessori competat? Negat. *Treutl. vol. 1. D. 14. th. f. lit. C.*

Umm. disp. ad process. 22. th. 2. n. 10. Sed affirmativa verior est, per *d. l. 38. ff. d. hered. petit.* his verbis: & id ipsum iudicis officio continetur, nam nec exceptio doli mali desideratur, Hoc enim verbum desideratur, manifestè ostendit, quod exceptioni doli locus sit, *Bachov. ad th. f. lit. C. adde Dn. Ungep. d. exerc. 6. q. 4.* (d) Nam hos non deducit; quia imputari ei potest, quod sciens in realiena temerè eas fecerit, *§. 37. in f. Inst. h. t. d. l. 7. §. 12. ff. de acq. rer. dom.* sed tollere tamen & abradere, si absq; dispendio rei fieri possit, permittitur, *l. 5. C. d. rei vind. l. 37. in f. ff. eod. & l. 19. ff. de hered. petit.* Quod si dominus tantum dare paratus est, quantum ex abrasione habiturus esset, omninò hoc ipsi concedendum est, nec malitiis possessoris indulgendum, *l. 38. ff. d. rei vind. Fachin. d. lib. 1. c. 55. Henon. d. D. 4. th. 14. lit. B. & C. & th. 15. lit. B. Dn. Ungep. d. Exerc. 6. q. 4. in Neg.* Quid dicendum, si tolli aut abradi nequeant? Et tùm nulla planè illarum ratio habenda videtur: ut ex *Menoch. rectè docet Illico Umm. d. D. th. 3. n. 13.*

IX.

Tertius acquirendi modus est specificatio, cum ex materia aliena (a) vel partim aliena, partim nostra, novà species conficitur (b) Huc refertur etiam confusio (c) & commixtio. (d)

(a) Qua de re non levis inter Proculianos & Sabinianos fuit dissensio: quorum illi formam huius materiam prævalere debere existimabant, sed Justiniano placuit, media sententiâ distinguendum, ut si species facta ad priorem materiam reduci possit, nova species domino materiæ cederet: V. G. Si ex alieno auro vel argento, vas conflatum fuerit; si verò ad pristinam materiam reduci non posset, ad specificantem pertineret: putà si ex aliena lana vestimentum, vel ex alienis tabulis navis facta, *§. 25. Inst. h. t. d. l. 7. §. 7. l. 24. l. 26. pr. ff. de t. Bronch. cent. 3. ass. 79. Arum. d. Exerc. 4. th. 15. Hen. d. D. th. 10. Dn. Ungep. d. Exerc. 5. q. 8.* Modo tamen nomine suo & bonâ fide species facta fuerit, *d. l. 7. §. 7. l. 25. ff. de acq. rer. dom. l. 12. §. 3. ff. ad exhibend. Don. d. lib. 4. c. 12. Foman. d. D. 9. th. 9. Henning. Wegen. D. 4. th. 5. lit. D.* Quod verò de frumento & spicis sub finem *d. §. 25.* addit Imperator, id supplendum est ex *d. l. 7. §. 7. Borch. ad d. §. 25. in fin.* vel ad exempla solum.

lum ea, quæ ad pristinam materiam reduci nequeunt, referendum, *Giph. ad d. §. 25.* (b) Et hoc casu in distinctè species ad facientem pertinet, sive ea reduci ad pristinam materiam possit, sive non; quia textus generaliter loquitur, & ratio quoq; subjecta cuilibet speciei convenit, §. 26. *Inst. h. t. Borch. ad d. §. n. 2.* (c) Quando duorum dominorum materie, in unum corpus confunduntur, ita ut vel novam constituent speciem, vel alias difficulter separari possint, §. 28. *Inst. h. t. l. 3. §. f. & l. 4. ff. d. R. V.* Quo casu corpus ex confusione ortum, utriusq; domini commune est, sive voluntate illorum, sive casu facta fuerit, confusio *d. §. 28. d. l. 7. §. 8. & 9. ff. d. acq. rer. dom.* Non enim ferendus est *Hotom. d. §. 28. inf. & d. l. 7. §. 9. ex Theoph.* negationem adjiciens: quia nec hic amplius separari possunt, nec factum cujusq; intervenit, ob quod ei res debeat acquiri, *Arum. d. Exerc. th. 16. Adde Don. d. lib. 4. c. 31. & ibi Hillig. lit. D.* (d) Cum singula corpora in sua substantia durant, nec novam speciem constituunt. Et hoc casu si quidem voluntate dominorum facta sit commixtio, commune erit, quod commixtum est: Sin casu, aut alterutrius tantum voluntate, res singulorum manent, & vindicari possunt, ita tamen ut iudex estimare debeat qualitatem materiarum, nè quis damno afficiatur, §. 29 *Inst. h. t. & l. 4. ff. d. rei vind. Wesenb. Giph. Borch. ad d. §. Adde Don. d. lib. 4. c. 22.*

*animi in unum, cum n. solvitur
operam dedisse, id est
eodem modo præstatum
Ratio q. q. d. d. d. d.
n. intervenit, id est
e. v. c. q. confusum v. b.*

X.

Ultimus modus est traditio (a) à Domino (b) ex causa habili (c) voluntate & consensu, utriusq; tam accipientis, quam tradentis facta. (d)

(a) Traditio est possessionis translatio *arg. l. 3. ff. d. act. empt. & l. 28. ff. d. V. obl. Cujac. lib. 11. obs. 19.* Ea q; vel vera vel ficta: Vera, cum res actualiter traditur, & apprehenditur: res mobilis quidem de manu in manum transferendo: immobilis verò inducendo in possessionem ædium, fundi &c. Imo & permittendo, ut quis perferem capiat, aut in possessionem rei immobilis veniat, *l. 5. l. 34. ff. d. acq. poss. l. 2. C. eod.* Ficta est, quæ intervenisse fingitur, vel ex nuda voluntate: ut si rem, quam quis apud aliquem deposuit, vel alicui locavit, commodavit, postea eidem vendat, donet &c. §. 44. *Inst. d. t. l. 9. §. 1. ff. d. publ. in rem. act. l. 9. §. 5. ff. d. acq. re. dom. Adde Cujac. lib. 4. obs. 3.* Vel ex signo aliquo, ut ex traditione clavium *d. §. 45. Inst. h. t. l. 74. ff. de contrah. empt. Q. An vacuæ possessionis traditio hic omninò necessaria? affirmant*

firmant *Horom. Ill. q. 11. Gædd. ad l. 188. ff. d. V. S. & alii*, sed verior videtur negantium opinio, *arg. d. §. 41. Inst. h. t. l. 20. C. d. pact. l. 16. ff. d. fundo dotali, Don. d. lib. 4. c. 19. ibiq; Hillig. lit. D. Philip. Matth. ad l. 11. n. 37. ff. d. R. I. Niell. D. 9. th. 8. Henon. D. 16. th. 13. (b) §. 41. Inst. h. t. aut iis qui loco dominorum sunt, & jus transferendæ rei habent, ut sunt tutores & curatores, l. 16. C. d. admin. tut. l. 8. pr. & §. 1. ff. de rebus eorum qui & c. Item procuratores, qui vel mandatum speciale habent, arg. l. 17. §. fin. ff. d. jurejur. Vel quibus libera universorum bonorum administratio concessa est, §. 43. Inst. h. t. l. 58. & seq. ff. de procurat. & ibi Costal. Pac. cent. 2. antin. q. 47. (c) cujusmodi causæ sunt, donatio, dos, legatum, venditio & c. d. §. 41. & l. 31. ff. d. acq. rer. dom. Ex venditione tamen traditæ res non aliter emptoris fiunt, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo satisfecerit, aut de eo fides habita fuerit, §. 42. Inst. d. t. l. 19. & l. 13. ff. d. contrah. empt. Hen. d. D. th. 25. (d) l. 55. ff. d. oblig. & act. sufficit autem in corpus consentire, quamvis in causa translationis error aut dissensus intervenerit, l. 36. ff. d. acq. rer. dom. wesenb. ad d. §. 41. n. 2. & ad tit. ff. de reb. cred. n. 12. Elias Rober. d. D. 7. coron. 2.*

FINIS.

COROLLARIA.

- I. *An Cingari sint ferendi in bene constituta Republica.* N.
- II. *An judæi sint tolerandi.* N.
- III. *An Tyrannicide sint excusandi.* D.

Nobilissimo ac literatissimo

DN. RESPONDENTI.

Alta petunt alii multis ambagibus; at Tu
 Tutius esse putas Themidos tenuisse libellos,
 Quò Patriæ ipse tuis poterisq; benignus amicis
 Consiliis prodesse; ideoq; aliena petiisti
 Strata, igitur jamjam juvat expallescere chartis
 Perge ita sed videas nè te tortura laboris
 Vincat, & æterno te commendabis honori,
 Sacra Themis tibi constituet præclara trophæa.

*Sympatriote, Commens. ac Contub.
 apponebat.*

Joann. Frid. Lohet, Stutgard. Würtemb. LL. Stud.


99 A 6938

ULB Halle 3
002 822 58X



Handwritten text and faint bleed-through from the reverse side of the page, including the word 'CONNECTION' and some illegible characters.







4

QUARTA.

NEAS ONES.

ate

dicæ in celeberrima.

LUDWELL O.

*Dominis collegis
uit.*

AN à Güttingen.

ario,

—
CXVII.

ICORUM,
faris Scherffij,
ographi.